

distinguat necesse est. Quidam enim pulsatur, atque ideo pulsatorius dolor dicitur, qui articularum inflammatarum proprius est. Alius est pungens, quo tunicæ affici solent, qualem per pleuritidem percipimus. Huic finitimus est acutus, quo, ceu terebro perforante, aut palo impacto membrum affici videtur. Talis autem in colo intestino ex pituita vitrea excitari solet, quemadmodum in membranis cerebrum inuoluentibus ex eadem pituita malè affectis. Alius est dolor, qui tensiuus dicitur, quo membrum malè affectum adeò tenditur, vt rumpi videatur: qui quidem venarum proprius est: atque propterea omnium inflammationum commune symptoma est, atque humorum & flatuum copiam significat. Dolor item, quo parenchymata malè afficiuntur, grauis est. Talis etiam conuenit cerebro ex pituita crassa malè affecto, & membris calculo laborantibus, qualia sunt renes & vesica. Dolor item alius est profundus, qui si contundens est, membranas ossium malè affici significat, sed si nihil contundit, aliarum tunicarum affectum declarat. Alius præterea superficiarius est, qui cutem, carnemque cuti proximam morbo corripere denuntiat. Pruriginosus quoque dolor, ceu ulcerosus humorum acrimoniam arguit, atque primùm & per se cutem, secundò & ex accidente carnem afficit. Dolor item,